COMŒDIA DE VITA NICOLAI VNDERONVALDII EREMITÆ HELVETII. SCRIPTA FRIBVRGI. 1586.

Friburgi.

Habita Lucernæ Helvetiorum 5. octobris 1586. Praesente legato pontificis, et legatis omnium ~~etc~~ catholicorum pagorum, ~~quo simul~~ eodem die foedus religionis denuo confirmatum et arctius sancitum est.

HORATIVS.

Aut prodesse volunt aut delectare poëtæ.
Aut simul et iucunda et idonea dicere vitæ.

Prologus.

Saluete Lucernenses quotquot huc pedem
Tetulistis spectandae caussa Comoediae
Quam faustis auibus, et coetu Divûm auspice
Iam cogitamus huic scenae committere
Haud aliam ob caussam, Lucernenses inclyti,
Quam ut uos hilaremus iucundis theamatis
Et acroamatibus delectemus, ac uicem
Sic ~~meritis~~ uestris ~~referamus~~ quae totius
Anni curriculo sane liberaliter
In nos congessitis. ingrati turpem notam
Non effugeremus, ~~ni~~ uestris beneficijs
Responderemus grates, quas uires ferunt.
Adeste quaeso mentibus qui corpore
Voluistis adesse, et si alicuij Comoediae
Fauistis unquam linguis et silentio
Et beneuolentia alta, huic fauebitis,
Sat scio. nam materiam non tractat exteram,
Non fictam, non petitam ex Vatum fabulis.
Sed natam in Heluetia, domi nostrae satam.
Natam Vnderwaldiae. nunc nouistis locum?
Nouistis, nouistis. fortasse ~~[illegible]~~ singuli
Vidistis eundem. possitis sed tot ambagibus
Plane non proloquar. Vitam Vnderwaldij
Nicolai comicis legibus inclusimus
Inclusam uobis nunc spectandam adducimus.
Res est spectatu digna. quod uidebitis

Comoedie progressu multo clarior.
Et certe si uerum est, quod uulgo dicitur,
Domestica magis hilarant animos, quam extera,
Nouiterq facta magis, quam gesta antiquitus:
Non Sindro, Lucernenses, haec comoedia
Gratior eueniat uobis, quam quae uersibus
Nicolai dictam exequitur Vnderualdij:
Heluetij, qui progenitorum aetate uixerit
Sui aeui Paulus, Antonius, Onuphrius,
Miraculis toto mundo clarissimus.
Immortale decus et iubar nitidissimum
Heluetiae. sed iam primi actus summam eloquar.
Reliquorumq periochas dicam cum uenerit
Hora noster ad illos actus, si iam dicerem
Omnes, non tam docerem quam confunderem.

Actus primus.

Principio prodeunt Cacodaemones duo,
Qui multis consultant quonam in plagas modo
Conijcere Nicolaum possint. plurimum
Dolent ignarum agricolam tot negotij
pietate sua facessere suis copijs.
Interea Nicolaus ad solitas preces
Deo soluendas prodit. adsunt Daemones,
Virumque sanctum pugnis tundunt, et alapis
Caedunt crudeliter, si forte stringeret
Maledicam in superos linguam. sed sanctus senex
Nil nisi diuinam proloquitur clementiam.
Pinguntur daemones. refert victoriam
Praeclaram Nicolaus. grates diuis agit.

Post hoc

Post hæc rus it, comitatus filio suo.
Precor suo uota fundit patri cælitum.
Laboribus præbet natus pabulum, parens
Fons precatur, Dæmon aduolat iterum.
Precantem arripit, et per dumos et per rubos
Per saxa, per cœnum rapit sanctum uirum.
Patienter omnia fert. (nec fateor uerbulum)
Quod summam non declararet patientiam.
Quam patiens est Nicolaus, tam nequissimus
Cacodæmon est impatiens, quod retia sua
semper nequicq. Nicolao tenderet.
Nobilis exinde à grato ducitur domum.
Mendici ueniunt Nicolai ad ædes duo
stipem rogantes, dapsilem accipiunt stipem.
Post hæc in ~~[illegible]~~ aliquot ~~[illegible]~~ pauperes scholasticos
Vir mitis liberalitate maxima
paterna confert merita. Tres ~~[illegible]~~ postea uiri
Incertum an Angeli. grauissime monent
Nicolaum ut rebus derelictis illi [illegible]
subiectis, unico se mancipet Deo.
Relictis liberis, relicta coniuge.
Currenti calcar addunt, nam nihil aliud
Desiderabat Nicolaus perpetim.
Hic finis actus primi erit, et hic terminum
ponimus. vos interea spectatissimi
Fauete spectatores primo huic actui,
si non fauere uultis nostri gratia,
Fauete Nicolai caussa Underwaldij.

Tibi mille. Arm: sat ampla tentandi mihi suppetet
Materies, en iam prodit ~~[illegible]~~ Sanctus scilicet.
En quales globulos vel potius globos gerit.
Vota Deo cuncta numerans, ut me qd nimis.
Vix ossibus haeret. en domitus ieiunijs
Frequentib, ut langueat, ut et vacillat passibus
Ambiguis. ~~[illegible]~~ Belial: studiamus qd semen potat,
Et ~~unde~~ spectandi principium ducere velit.

Actus 1. Scena 2.

Nicolaus, Daemones.

Nicol: Quantis me celsi summus aetheris parens
Ab ineunte aevo cumulavit beneficijs,
Licet immerentem, quantis me quotidie
Auget adhuc donis, finis nullus est modus
Benefaciendi nullus est clementiae
Divinae praestitutus. Quid communia
Memorare tenear merita, quae quamvis sient
Maxima, plerique mortales tamen negligunt.
Quid maius quam quod coeli summus Conditor
Me procrearit et ad effigiem finxerit
Suam, capacem coelestis vitae! et cui
Non est decedens terminus! fueram nihil.
Illius dono nunc aliqd sum, quid aliqd!
Non quidlibet. sed homo. sed similis caelitum.
Intelligentia. qd hoc beneficio
Excogitari maius quit! quidue melius!
Deinde me progigni voluit catholicis
Parentibus, non Judaeis, non Ethnicis,
Non Haereticis, in catholica me nascier

Voluit Ecclesia. ut simul atq. cernerem
Jucundum coeli lumen, Catholicos quoq.
conspicerem. atq. lavacro sacri Baptismatis
Catholico ritu tingerer. Bel: stulti loqui,
Loquax oratio. videamus quo velit
Evadere tandem, haec mortis imago plurima.
~~[illegible]~~
Nic: Deinde suppeditavit mihi constantiam
stamendi firmiter priscis in dogmatis
sed hanc usq. horam. praeterea custodiit
Me variis maculis primaevam innocentiam
Contaminarem. Ason: En ipse buccinat suas
sibi plebisq. suis laudes. os te ornet
Laudet alienum. sordent laudes propriae.
Proverbium sed nescit, quia popularia
Ignorat spiritalis. solo spiritu
Jam vivit, carne quantus quantus mortuus.
Nic: Insuper a cura rerum temporalium
superflua me abstraxit, ut mihi sit satis
Quod satis est, et non nummorum caeca ardeam
Cupidine. quid mihi fert quaeso commodi,
Vel mundus universus, si detruderet
Ad inferos animam meam coeli arbiter,
Satius est omnia putare instar stercorum
Ut evadamus flammas Ditis perpetes,
Et ~~tandem~~ perfruamur coeli ~~[illegible]~~ gaudiis.
Uber Rex aethre cumulat coelites suos.
Bel: Sed nondum bone vir pervenisti ad sidera.
Est via sat longa. timeo ne vires tuae
Itineri tanto non sufficiant. iam pedes
In plano vix tollere potes. qui ascenderes
Culmina tam celsa coeli, tamq. ardua?
Ad inferos, ad regna nostra curriter

Coelici tramite; eo uenies facillime.

Nic: O pater aetherijs sedibus qui praesides
Tibi gratias ago, tibi refero gratias.
Ex intimis praecordijs. Tu conditor,
Redemptor tu meus, tu protector meus,
O quando te videbo sine uelamine?
O quando intrabo lucidos poli domos?
Interminatis gaudijs ut perfruar.

Flectit Nic: genua.

Daemones digladiantur ut Nic: perdant.

As: Fer opem te rogito uulnerato vir Dei.

Nic: Vna dies melior est in atrijs tuis
Quam multa dierum millia hoc in tempore.
Felices illos quibus honorem sedis annuis
Sidereae. Felices ter, quater, et amplius.
O pater, o coeli rector praepotens Deus,
Qui cuncta mundum aeterno regis moderamine
Qui numine tuo reples coelum et aequora
Et terras. qui disponis omnia suauiter
Adesto mihi; sis clypeus sis scutum meum.
Impressiones contra saeuj daemonis.

[illegible]

Asm: Quid te precando conficis. Quin ocyus
Surgis. Quin surgis. ὄρθεο, ὄρθεο, ὄρθεο.

Nic: Adesto mihi salutis largitor Deus.
Adesto mihi iuuamen unicum meum.

Bel: Quid aetheris res contemplaris? inspice
Hoc speculum. fulgens contemplare paululum.
Quam pulcher sis, quam formosus, quamque elegans.

Nic: Abite spiritus nefarij. fugam
Capessite. Deo soli semper seruiam.

As: Sitis? vel esuris? suaue poculum
Misceebo tibi, ne torqueas corpus tuum

Fame sitiq. Nic: cibus est et potus meus
Facere voluntatem supremi numinis.
Cibus meus est aetherias contemplari
delicias. Spes mea Deus et solatium
Robur in adversis unicum, per spem mihi
Luctanti contra insultus vafri daemonis.
As: Bibe Nicolae quid te discrucias siti!
Bibe Nicolae nimia morieris siti.
Bel: Ede Nicolae quid te discrucias fame!
Ede Nicolae nimia morieris fame.
Nic: Potus panisq vester sub nigra tartara
Vobiscum detrudatur improbissimi
Et seductores hominum sceleratissimi
Predones animae, raptores ~~vitae~~ corporum,
As: En nihil efficimus Belial, quid consilii
Capiendum censes! ~~Fortiter Deus~~ in fugam nos ~~dilecto~~
conjecit orando
~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~. Bel: Non iam tempus consilii
Capiendi, sed pugnandi totis viribus.
Dic Nicolae quamdiu hanc vitam tuam
Austerum duces, tu necabis militer
Teipsum. Desine, desine, desine, desine.
Num tu vis melior esse reliquis omnibus!
Num tu vis universo mundo sanctior
Videri! non est haec ad caelestes plagas
Via trita, perge ad caelum consueta via,
Audin' Senex?
~~[illegible]~~! Nic: Domine Deus. Bel: ratione et modo.
Rei domesticae vaces, ieiunia
Relinque monachis et monialibus. Tuo
Huic statui convenienter vivito. Plurimis
Es offendiculo, quod quaeras novam viam
Ad caelum, non es monachus, istic rusticus.

Nic: Domine Deus. Asm: Audis! saecularis es, senex,
Non religiosus, tractas saecularia.
Religiosa religiosis linquito. tibi
Ligonem sume, rastrum, furcam, sarculum.
Rosarium da monacho atque sacerdotibus.
Nic: Abito spiritus nefarij, fugam
Capessito. Deo soli semper serviam.
Rumpamini quantumvis ut Judae ilia.
Vos scilicet nobis beatitudinem
Amissam sceleribus invidetis perpetim.
Et sub Cocyti stagna nos teterrima
Raptare conamini. sed vestros irritos
Conatus reddit astrorum Rector potens.
Abito spiritus nefarij, fugam
Capessito. Deum percolendo spiritum
Supremum efflabo. Asm: Domino igitur vincimur!
Pugnaque excidimus inusti turpi nota.
Ut te caelitum summus genitor perduat
Scelestissime senex, Hypocrita maxime.
Nic: Abito spiritus nefarij: fugam
Capessito. Dominus lux mea, fiducia
Mea Deus. si constiterint in me tartara!
Non trepidabo. etiam si conspexero
Luciferum Regem Regni membra singula,
Non expallescam. Plures mecum sunt
Quam cum illis. Bel: Ergo Nicolaus nos denuo
Pedibus calcat, et oppressos mittit sub iugum!
Hei pudet ac taedet. quos nostris dabimus iocos!
Quos risus! quos ludos! cum per tam nobile

Bellatorum uictum ab agricola conspexerint.

As: Res mira tot fortissimos deuicimus
Athletas praelijs callentissimos
Iniecimus in blandiculas et duras plagas.
Et hunc nequiuimus fallere non ~~simplicem~~ uafrum uersutum.
Sed nondum spem posui. dum uixerit
Sperabo. nondum euasit nostra tertia.
Nunc conferamus nos alio, atque quempiam
Vel potatum uel scortatum, uel denique
Iuratum, uel litigatum, mittamus doli,
Pollicitos nostris ne prorsus nihil hodie
Fecisse putemur. Bel. consilium tuum placet.

Actus 1. scena. 3.

Nicolaus. Henricus filius. Daemones.

Nicola: Tentatio uita nostra iugis est, ait
Beatus Jobus tentatus grauissime.
Vre, seca, scinde dummodo tuam conspicar
In alia uita gloriam. da quod iubes
Et quod uoles iubeto. grauia sufferam
Libenter, modo tu dederis mihi patientiam.
Vxor mea solatium unicum meum,
Mentisque requies, et uoluptas, certaque
Spes. O quando dabitur relictis omnibus
Quae me nunc detinent, famulari tibi,
Soli! quando cum Abrahamo terras deseram
Cognatos! terminosque patriae meae
Vt ueniam in terras quas tu commonstraueris.
Nunc distrahor tot occupationibus
Rei familiaris, uti seruitio tuo
Non modica subtrahatur pars temporis mei.